



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BOACENSIS\*** DETRACTA AB ECCLESIA  
LUCENENSI, IN INSULIS PHILIPPINIS,  
PROVINCIA VULGO MARINDUQUE,

NOVA DIOECESIS CONDITUR « BOACENSIS » APPELLANDA Cum tempora maturuere, consuevit quidem haec Apostolica Sedes, omnium Ecclesiarum mater sollicita, quasi stirpe ex arbore detracta, novas circumscriptiones ecclesiasticas condere. Nam per id non solum nimis latae dioeceses intra aequiores limites continentur, sed multiplicatis praeterea Episcopis, etiam consilia et vires longe accrescunt, quibus Dei verbum « currat et clarificetur » (*2 Thess. 3, 1*). Quare, cum Venerabilis Frater Iosephus T. Sánchez, Episcopus Lucenensis, audita Conferentia Episcopali, ab hac Apostolica Sede enixe postulaverit ut, divisa sua dioecesi, nova constitueretur, Nos, Venerabilibus N Fratribus Nostris sententiam rogatis qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praesunt, de bono fidelium solliciti, haec statuimus atque iubemus. A dioecesi Lucenensi integrum territorium separamus provinciae civilis, quam populus Marinduque cognominai,' eoque novam dioecesim condimus, « Boacensem » appellandam; cuius sedes episcopalnis in urbe Boac ponetur, cathedra vero in sacra aede B. M. V. omni labore expertis, quae est in eadem urbe, quaeque cathedralis habebitur, cum debitiss iuribus. Eam praeterea suffraganeam constituimus metropolitanae Sedi Lipensi, ad normam iuris. Iubemus etiam ut Canonicorum collegium condatur, iuxta leges per alias Litteras edendas. Interea vero Consultores dioecesani elegantur, qui Episcopum iuvent consilio et opera. Ad mensam episcopalem quod pertinet, coalescat haec Curiae emolumentis, fidelium collationibus sponte factis, parte aequa bonorum si qua sunt, quae adhuc Sedi Lucenensi propria erant, ad canonem 1500 C. I. C. De seminario statuimus, ut serventur leges iuris communis, ratione habita tum Decreti « Optatam totius » Concilii Vaticani II, tum regularum Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica. Cum autem iuvenes eo aetatis pervenerint ut philosophiae ac sacrae theologiae incumbere debeant, qui meliores fuerint, Romam mittantur, in Pontificium Collegium Philippinum. Ad cetera quod pertinet: regimen dioecesis, administrationem, electionem Vicarii Capitularis, suo tempore, haec omnia Iure Canonico temperentur. Nimirum simul ac nova Sedes condita fuerit, Sacerdotes atque clerici qui in eius territorio beneficium aut officium habeant, eidem adscribantur tamquam proprius clerus; ceteri vero clerici atque Seminarii tirones, ei in qua degant legitime. Denique acta atque documenta ad novam Ecclesiam pertinentia, ad eius Curiam episcopalem mittantur, religiose servanda. Ceterum

quae mandavimus, Venerabilis Frater Bruno Torpigliani ad exitum ducat, vel quem ipse legaverit, factis nempe facultatibus necessarii; re vero acta, documenta exaranda curet, quae sinceris exemplis ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittat. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die altero mensis Aprilis, anno Domini millesimo nonagesimo septuagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto decimo.* IOANNES Card.

VILLOT

SEBASTIANUS Card. BAGGIO

*Secretarius Status*

*S. Congr. pro Episcopis*

*Praefectus* Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Proton.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXX (1978), n. 1, pp. 5-6

© Copyright 1977 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana